

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Alia

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Oro etiam Deum, ut meam sororem seruet incolumem, et adiuet ut feliciter pariat. Postremò rogo, ut telam mihi ad faciendum thoracē et caligas mittas. Bene uale.

## Alia.

Charissime Pater. Postquam huc nunciatum est, quatuor & uiginti horrea incendio periisse, quorum pleraq; adhuc frumenti plena fuerunt: et in his tuum horreum unā conflagrasse, ualde consternatus sum: & incepi (ut fit in dolore) gemens & lachrymans, animo repetere detrimenta quæ amea accepisti, et publicas difficultates huius temporis, ac nostræ ciuitatis inopiam: quarum rerum omnium cogitatio mihi moesticiam ualde auxit. Moueor & priuatis & publicis incommodis: sed multo magis de te & matre sum sollicitus, ac uereor hanc moesticiam uobis morbum aliquem allaturam esse. Etsi autem scio te uirum præstanti uirtute & robore animi præditum, res aduersas moderatè ferre: tamē ad te scribendum esse duxi, quo te hortarer, ut uel propter matrem tuum dolorem fortius reprimas, & illam erigas illis consolationibus quæ nobis in cœlesti doctrina proponuntur, quas optimè nosti. Castigat nos Deus, non ut funditis nos opprimat: sed ut ad inuocationē nos exuscitet, quam si præstabimus, Deus hæc damna nobis sarciet: ut & lobo & multis alijs amissas facultates

cultates restituit. Hæc & sæpe cogitato, & matris  
 recitato, eamq; à cogitatione huius aduersi casus  
 tua suauitate abducito. Ego quoq; Deum orabo,  
 ut leniat uobis difficultates omnes propter filium  
 suum: quem ad nos misit, ut fœdus cum humana  
 natura faceret, ut hac æterna copulatione testa-  
 retur se uera cura adfici generis humani. Bene  
 uale.

## Alia.

Charissime pater: Cùm sciam te pericula præ-  
 sentia ante aliquot annos præsensisse: spero te e-  
 tiam præparasse animum ad ea sapienter feren-  
 da, quæ iam accidunt. Teq; oro, ut te ab dolore ab-  
 ducas, quantum omnino potes: & cogites, nec om-  
 nia humanis consilijs regi posse, & uoluntate Dei  
 esse ut petamus, ut ipse res inextricabiles sua mira-  
 bili bonitate extricare uelit. Spero certè nunc exau-  
 diturum esse gemitus nostros. Hoc igitur cogita-  
 bis, ubi filius Dei inquit: Nemo rapiet oues meas  
 ex manibus meis. Hanc meam commemorationem,  
 etiamsi non est necessaria, tamen scio tibi non  
 ingratis fore. Nec argumentum aliud hoc tem-  
 pore habebam. Ex Hamburga scribitur, Gal-  
 lum inferre bellum Anglis tanta classe, quanta in  
 ea Oceani parte nunquam uisa est. Cæ-  
 tera desiderabantur.

Alia.